



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XC. Vtrum omnia, & sola peccata lethalia hominis baptuzati sint materia
necessaria, & sufficiens Confessionis sacramentalis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

aut propter maiorem liberam applicationem intellectus, & voluntatis circa id, quod minus est; ceterum, qui mouetur ad odium peccatorum, ex solo motu vniuersali, quod dictum est necessario obuersari actui disponenti ad hoc sacramentum, plus odit peccata maiora, quam minora. Quia maiora auertunt magis à Deo, & inducunt penas maiores, maiorque cum efficacia, & turpitudinem continent in se similiter maiorem. Vnde motuum vniuersale, siue perfectissimum, siue minus perfectum, necessario facit maiorem ex se præcisè impressionem in animo aduersus maiora quaque peccata iuxta gradum singulorum.

QVÆSTIO XC.

Vtrum omnia, & sola peccata lethalia hominis baptizati sint materia necessaria, & sufficiens Confessionis Sacramentalis?

Videntur non esse, 1. Quia nullo prorsus præexistente re ipsa peccato, potest subsistere sacramentum penitentiae. Alioquin istud sacramentum constitueretur intrinsicè per peccata. Id enim, quo sublato ita aufertur aliquod totum, vt eodem dato idem totum subsistat, cæteris omnibus eodem modo se habentibus, pertinet ad constitutionem intrinsicè totius, tanquam eius pars essentialis, vt apparet ex iis quæ superius dicta sunt in re simili quæst. 7. Sequela autem communiter censetur absurda. Nulla igitur peccata sunt materia necessaria huius sacramenti.

2. Ea omnia, & sola peccata sunt materia huius Sacramenti, quæ vi eiusdem remitti possunt. Non autem omnia, nec sola peccata hominis baptizati remitti possunt vi huius sacramenti. Non quidem omnia. Primò, quia aliqua peccata dicuntur in scriptura irremissibilia, & quæ neque in hoc sæculo remittuntur, neque in futuro. Deinde quia, quæ committuntur in ipso sacramento, atque in actu ipso confessionis, non sunt remissibilia per idem sacramentum, vtpotè remouentia dispositionem præcisè necessariam ad eius valorem, & effectum.

Sed neque sola peccata baptizati remittuntur per hoc sacramentum. Quia, qui Baptismum fide suscepit, & postea commisit alia præterea peccata, omnium simul peccatorum remissionem consequitur per subsequens sacramentum Penitentiae, quandoquidem gratia habitualis, communicata per ipsum, simul, ac indiuisim, est remissiva omnium peccatorum præexistentium, nec fieri vilo pacto potest, vt vnum aliquod peccatum lethale remittatur, quin simul remittantur omnia alia, quæ cum illo præexistunt, vt patet ex quæst. 9. de iustif.

3. Nemo tenetur ad confessionem peccati cum iactura, saltem magna pecuniae, salutis, aut famæ. Quia de causa, vt alia quamplura prætermittantur exempla, non tenetur ad confessionem, ex sententia plurium auctorum, qui nequit confiteri, nisi per interpretem. Ne nimirum cogatur habere duos testes contestes suorum scelerum. Sunt autem aliqua peccata vltimè adeo enormia, ac deformia, vt eorum manifestatio facta soli Confessario, procreet maiorem, magisque sensibilem, ac contristatiam infamiam: quam manifestatio aliorum plurium peccatorum per interpretem. Eiusmodi namque sunt aliqua peccata ex natura sua, vt proditio patriæ, occisio benefactoris, incestum cum matre, aut sorore bestialitatis. Alia verò ex conditione personæ, vt furtum viri nobilis, impudicitia

virginis, aut etiam coniugata, quæ est integerrima fama, aut est celebris opinione sanctitatis. Ergò talia peccata non sunt materia necessaria confessionis.

Eodem pertinent, licet diuersa aliquatenus ratione, peccata, quorum differentia specifica manifestari non potest absque infamia tertiae personæ, quæ fuerit complex, aut obiectum peccati, vt incestum cum matre, aut sorore, infamatio patris, vel matris de adulterio, & similia. Eodem etiam pertinent peccata, quorum exacta, & adæquata expositio fieri nequit absque scandalo Confessarii, inductio eius ad peccandum, aut absque periculo propriæ reincidentiæ aeternæ. Cuiusmodi incommoda insunt nonnullis peccatis per se ex sua natura. Quæ proinde eximuntur absolute ab obligatione confitendi.

4. Absolutio sacramentalis non potest verificari circa peccata iam ante deleta, quoad culpam, & totam penam, per contritionem, aut per aliam confessionem. Quia fieri non potest, vt quis verè absoluetur à peccatis, quæ verè sibi iam non insunt, seu quibus non amplius ligatur verè. Ergò non quælibet peccata lethalia baptizati sunt materia sufficiens huius sacramenti.

5. Peccata dubia, nec sunt materia necessaria, nec sufficiens confessionis. Non quidem necessaria. Quia quilibet in dubio præsumitur innocens, ac proinde nemo tenetur in dubio peccati, se gerere, & accusare tanquam reum. Confirmatur paritate voti, de cuius emissionem, qui dubitat, ad nihil inde tenetur, idemque dicitur indubitanter de debito, aut furto dubio, quatenus non obligante ad vllam restitutionem; deque similibus. Confirmatur rursum. Quia si scrupulosi tenerentur ad confessionem omnium de quibus dubitant, implicarentur nimium, & redderetur moraliter impossibilis aeterna eorum salus. Lex autem Dei est eadem respectu omnium, omnesque proinde obligat ad eadem, & eodem modo. Sed neque sunt materia sufficiens eadem peccata dubia. Quia illis solis expositis in confessione, exponeretur sacramentum periculo nullitatis; idemque periculum nullitatis immineret ex parte, simul etiam adiunctis peccatis certis, quia nihilominus posset esse nulla, ac nugatoria absolutio quoad dubia. Ergò non omnia peccata lethalia sunt materia confessionis.

6. Plerique peccatores sunt inhabiles ad discernendum omnes, & singulas formalitates peccatorum, quæ continent malitias morales specio diuersas; atque iis, qui frequenter peccant, & rarè consentunt, redditur post longum tempus moraliter impossibilis recordatio omnium suorum peccatorum. Vnde neutri possunt confiteri omnia sua peccata. Certè nunquam conuiescere possent, post vllam diligentiam examinandi conscientiam, tanquam satisfecissent adæquatè obligationi examinandi, nec vltius inquirere tenerentur. Quia nunquam possent esse moraliter certi, quod exposuissent in confessione omnia, & singula peccata, & quoad omnem eorum malitiam. Lex autem Dei *impossibilia non iubet*, nec inducit in eiusmodi angustias, & tricas inexplicabiles.

7. Actiones exteriores homicidij, furti, & similes non superaddunt vllam malitiam moralem, vltra eam, quæ inest actibus internis; quandoquidem nullam illis superaddunt nouam libertatem, quæ tamen est de conceptu formali malitiæ moralis, vt pluries dictum est in questionibus de act. hum. Ergò non necesse est confiteri peccata exteriora; sed sufficit dicere: volui occidere, furari, &c.

8. Qui furatus est vnica vice centum aureos, quod peccatum æquiualeat centum, & amplius peccatis lethaliibus, sufficit, si dicat: Commisi furtum graue, nec tenetur exponere determinatè quantitatem. Ergò sufficeret, si idem dicat absque vltiori indi-

tiduatione, qui centies furatus est lethaliter accipiendo singulos seorsim aureos. Patet consequentia, quia æquivalentium mutuo eadem est ratio, & consideratio moralis, nec potest esse dispar, onus æquè nocentium. Idem autem dicendum consequenter erit de numero aliorum quorumlibet peccatorum. Quia cuilibet numero, cuiuslibet speciei, potest similiter æquivalere vnus aliquis actus simplex, ergo non necesse est confiteri omnia peccata lethalia, saltem quoad numerum.

9. Aliquando suscipitur sacramentum pœnitentiæ validè, & fructuosè cum sola confessione peccatorum in genere, imò cum sola etiam nutu inueniente peccati. De quo nemo dubitat. Ergo semper suscipi potest idem sacramentum validè, & fructuosè cum sola eadem confessione. Patet consequentia. Quia quod aliquando sufficit ad saluandam essentiam rei, quæ in sacramentis est indistincta ab eorum valore; semper sufficit ad saluandam eandem; quandoquidem essentiæ rerum consistunt in indiuisibili, nec sunt variabiles. In sacramento autem Pœnitentiæ est inseparabilis valor ab effectu, & fructu ipsius, vt dictum est supra ex traditis in communi quæstione 30. Rursus quæ sufficiunt ad validam, & fructuosam susceptionem sacramentorum sufficiunt etiam, vt licet, & sine vllò peccato suscipiantur. Quia susceptio peccaminosa, saltem si lethaliter peccaminosa sit, impedit infusionem gratiæ, & consequenter etiam valorem, respectu huius sacramenti. Ergo semper suscipi potest istud sacramentum validè, & fructuosè, & absque peccato saltem graui cum sola confessione, aut insinuatione peccatorum in genere.

10. Omnia ea peccata sunt materia necessaria confessionis, quibus non manifestatis sacramentaliter, peccatur lethaliter. Contingit autem peccari lethaliter non manifestatis venialibus in confessione. Qui enim non commisit peccata, nisi venialia, peccabit nihilominus lethaliter contra præceptum confessionis annuæ, si per integrum annum omitat hoc sacramentum; id est, si omitat confessionem venialium. Idem dicitur de eo, qui vouit confessionem mensuram, aut hebdomadariam, necnon de eo, qui tenetur ad eandem frequentiam ex lege, aut præcepto speciali, tametsi nullum præcesserit peccatum lethale nondum remissum. Ergo non sola peccata lethalia sunt materia necessaria huius sacramenti.

11. Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus abstulit vsum confessionis sacramentalis, vti referunt Socrates, Sozomenus, Nicephorus, qui cum Rufino affirmant præterea, nectarium fuisse virum sanctum. Sanctissimus deinde successor, Nectarij, Chrysostomus fouit eam prohibitionem, vt patet ex verbis eius, hom. 4. de Lazaro post medium ad illud Isa. 43. *Dicito tui peccata tua: Cæce, ait, homini dixeris ne sibi exprobrer.* Et infra: *sed ei, qui Dominus est, qui tui curam gerit.* Nec enim ignorat etiam si non dixeris. Similes eiusdem sententiæ habentur tom. 5. hom. 5. 8. de Pœnitent. hom. 21. in epistol. ad Hebræos. Simile quid habetur etiam, ex Ambrosio de pœnitent. dist. 1. sub initium. Vbi præterea vsque ad cap. 36. proponuntur varia Scripturæ testimonia affirmantia remissionem peccatorum absque eorum confessione coram homine. Est igitur inuentum purè humanum, & contradicens iuri Diuino, necessitas confessionis auricularis pro obtinenda remissione peccatorum. Certè credibile nequaquam est vsum abrogatum à Nectario, & quod plus est, à Chrysostomo, fuisse conformem iuri Diuino. Nulla igitur peccata sunt materia necessaria sacramento Pœnitentiæ, saltem de iure Diuino.

Art. 1. Respondetur ex dictis supra quæstione 87. apparet clarè confessionem peccatorum, coram sacerdote Dei Vicario esse necessariam necessitate præcepti Diuini. Idipsum definit, post alia Concilia Tridentinum loco infra notando; Docetque indubitatus omnium Ecclesiæ Patrum consensus apud Suarez disp. 17. sect. 2. & continua eiusdem Ecclesiæ traditio, atque vltus semper tenuit, ac tenet. Superest explicandum qualia peccata, & quatenus necesse sit exponere confessario. Possunt autem omnia, quæ spectant ad hoc punctum, expediri, ac inferri facile, & legitime ex fundamento, quo in prædicta q. 87. comprobata est necessitas confessionis huius vocalis in genere. Fundamentum enim verò, ibi iactum ex Euangelio, fuit: Sacerdotes constitutos esse à Deo Vicarios suos, quoad potestatem remittendi & retinendi peccata; ac propterea qua obligatione semper tenebantur, & tenentur peccatores ad agnoscendum coram Deo omnia sua peccata, cum verò de illis interno dolore, supra explicato, teneri itidem ad idem præstandum exterius coram Sacerdote post institutum sacramentum Pœnitentiæ, quoad peccata commissæ post Baptismum; id est ex quo peccator constituitur membrum Ecclesiæ, & subiicitur potestati sacerdotali.

Art. 2. Necesse autem semper fuit, vt est agnoscere, & plangere coram Deo omnia, & singula peccata lethalia quoad omnem eorum malitiam grauem, iuxta illud Isaia 38. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Nec aliter obtineri vnquam potuit, aut potest beneficium reconciliationis cum Deo, vt patet ex Ezech. 18. 30. *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Cuiusmodi sunt alia quamplura in sacris litteris. Necesse igitur est post institutum sacramentum Pœnitentiæ vt vnusquisque baptizatus recogitet omnes annos suos, in amaritudine animæ suæ coram Sacerdote, vtque agat pœnitentiam omnium iniquitatum suarum coram eodem. Et qui pœnitentiam huiusmodi non habuerint, omnes similiter peribunt, vt apparet ex verbis Christi Domini, quæ habentur in hac omnino sententia Luca 13. 3. & 5.

Art. 3. At non recogitat omnes annos suos in amaritudine animæ suæ, nec agit pœnitentiam omnium suarum iniquitatum, coram sacerdote, qui non manifestat eidem omnia peccata sua saltem lethalia cum dolore, & odio eorum. Cum enim peccata lethalia sint materia præcipua amaritudinis animæ, eademque sub nomine iniquitatum, absolute intelligantur; non dubium est, quin recogitatio omnium annorum in amaritudine animæ, & pœnitentia omnium iniquitatum, & quod inde consequitur, iuxta illationem nuper indicatam, manifestatio peccatorum faciendæ Sacerdoti complectatur omnia, vt minimum peccata lethalia. Necessaria igitur est, iuxta Diuino, confessio, & manifestatio omnium peccatorum lethaliū, quæ post Baptismum ab vno quoque commissæ sunt.

Art. 4. Quia verò non verificatur absolute, & iuxta commune loquendi, ac intelligendi modum, manifestari omnia contenta sub aliquo genere, nisi manifestentur, tum omnes, & singulæ species contentæ sub eodem genere, tum omnia, & singula indiuidua, contenta sub vnaquaque specie; atque certum est, necesse esse dolere de peccatis coram Deo cum eiusmodi distinctione, ac distributione. Quia inquam hæc ita habent, deducitur vltèrius necessariam esse confessionem, & manifestationem omnium lethaliū coram Sacerdote, quoad speciem, & numerum. Porro, sicut contingit, sub vne specie peccati, datipura

plura indiuidua, & numerum maiorem, vel minorem peccatorum; ita etiam contingit in eodem actu peccaminoso, realiter indiuisibili, dari plures specie malitias inuicem separabiles formaliter, seu secundum suum conceptum formalem. Qui enim furatur in Ecclesia, propter mœchiam cum scandalo adstantium, exercet actum realiter vnum, sed cui inest indiuisim multiplex species malitiæ, furti scilicet sacrilegij, mœchiæ, & scandali; è quibus formalitatibus quilibet, ex suo conceptu, & quidditate, est separabilis à reliquis. Quapropter eadem ratione, quæ necesse est confiteri numerum peccatorum contentum sub vnaquaque specie, necesse est quoque confiteri species omnes malitiæ, inuicem separabiles formaliter ex conceptu suo, quæ reperiuntur in vnoquoque actu. Iam verò inter eiusmodi formalitates, quæ est vniuersalior cæteris, maiorisque indifferentiæ, aut magis nota per se, aut vtrunque prior prioritatis rationis, dicitur communiter pertinere ad substantiam actus, imò esse ipsa substantia actus; reliquæ verò formalitates ratione posteriores, dicuntur circumstantiæ eiusdem actus, vti expositum est quæstione 25. & clarius quæst. 26. ad 3. de act. hum. Vnde quod dictum est, debere exponi seorsim omnem rationem specificam malitiæ repertam in vnoquoque actu, perinde est, atque debere exponi omnes species peccatorum, omnesque eorum circumstantias mutantes speciem.

Art. 5. Necesse itaque est explicare in confessione, non solum species omnes peccatorum lethaliū, omnemque eorum numerum sub vnaquaque specie contentum, sed etiam circumstantias omnes mutantes speciem, seu superaddentes peculiarem rationem malitiæ secundum se grauis, id quod non solum clarè definit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. verum etiam optima ratione conuincit. Quia videlicet, his omnibus non explicatis, non possunt sacerdotes exercere, prout oportet, iudiciariam, ac pastorem potestatem sibi à Deo delegatam. Nec enim possunt incognita causa, seu non integrè cognita quoad species, & indiuidua peccatorum, vti arbitrio remittendi illa, ac retinendi illa, atque penas, & opera satisfactoria, secundum æquitatem iniungere opportunè, ac demum adhibere medicamenta accommodata indigentia spiritualiter ægotantium. Quorum nimirum omnium diuersitas, & electio prudens, iustaque proportio pendet ex diuersitate specifica, & numerica peccatorum.

Art. 6. Ea porro peccata solo numero distinguuntur formaliter, quæ sunt inuicem negabilia secundum suum esse morale, simulque sunt omnino similia inter se, seu simul sunt inuicem indiscernibilia per sola sua prædicata intrinseca secundum idem esse morale. Talia sunt furtum scuti hodiernum, & hesternum; commissum à Petro, & commissum à Paulo, & sic de similibus. Additur vtrobique secundum esse morale. Quia actio peccaminosa interior, & exterior, quæ per illam imperatur, ac inducitur, sunt negabiles mutuo, atque dissimiles secundum esse physicum; & tamen ambæ simul constituunt vnum numerum peccatorum. Quia scilicet conueniunt inter se totaliter quoad libertatem, & quoad oppositionem cum dictamine rationis, & cum lege Dei, quibus constituitur adæquatè moralitas actionis peccaminosa. Vnde neutrius, aut libertas, aut oppositio cum lege Dei est negabilis de altera absolute, sed tantum quoad modum, quo conuenit vnicuique, qui modus spectat solum ad esse physicum, utpote nihil conferens ad diuersitatem vituperij, aut supplicij. Neque verò id potest esse discretium, aut dissimilium vnus ab alio, quod de neutro negari potest. Manifestum siquidem est, discretium

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. II.

vnus ab alio, non posse huic alij esse commune; atque vnumquodque differre, ac discerni ab alio per id, quod sibi conuenit, & alij non conuenit. Oportet igitur respicere solum ad esse morale.

Art. 7. Ea consequenter peccata differunt inter se specie formaliter; quæ non solum sunt inuicem negabilia secundum suum esse morale, sed etiam sunt inuicem dissimilia, ac discernibilia, per sola sua prædicata intrinseca, secundum id esse morale. Talia sunt homicidium, & furtum, perpetrata cum æquali libertate, & cognitione legis; necnon furtum, aut homicidium perfecte deliberatum, si comparatur cum semiplene, aut nullatenus deliberato. Obseruandum verò hic est vnum peccatum lethale posse differre specie, ab alio peccato lethali, differentia non necessario explicanda in confessione. Fieri namque potest, vt ratio differentialis seorsim considerata, non superaddat secundum se, lethalem, sed venialem tantum malitiam. Si enim alter ex duobus, modo aliquin prorsus simili, intendentibus occisionem Caij, intendat præterea indiuisim inferre Sempronio, per eandem actionem leue nocumentum in pecunia, vel honore, vel salute; differentia erit peres solam malitiam, secundum se, venialem, idèque non necessario manifestanda erit in confessione.

Art. 8. Exposita, in hunc modum multiplicitate formali, tum numerica, tum specifica peccatorum, facile intelligitur, quomodo, & quando multiplicentur æquiuallenter, seu numero, seu specie. Quando enim vnus actus, indiuisibilis in se physice, æquiuallens pluribus actibus lethaliter peccaminosis distinctis inter se formaliter, seu numero, seu specie; tunc dantur æquiuallenter plura numero, aut specie peccata lethalia. Tunc autem vnus actus æquiuallens pluribus, quando ipse præstat ex sua natura, aut intendit, quantum plures actus præstarent, aut intenderent, vti clarius manifestabitur in responsione ad octauum.

Art. 9. Quando peccata omnia lethalia explicantur confessario, quoad speciem, & numerum iuxta expositionem præmissam; Confessio dicitur, & est integra, & materialiter, & formaliter. Quando autem aliquod, vel aliqua subicerentur, vel propter impotentiam physicam ea explicandi, vel propter inaduertentiam, aut obliuionem inculpabilem, vel propter vitandum nocumentum aliquod graue; spirituale, aut temporale; proprium, vel alienum; quod imminet per accidens ex confessione expressa peccati; confessio dicitur, & est integra formaliter; tamen non sit integra materialiter; & perinde sufficit, atque si esset integra etiam materialiter, ad valorem, & fructum sacramenti, ac inducit remissionem indirectam eorum etiam peccatorum lethaliū, quæ non manifestantur. Quia Deus non obligat homines ad operandum, nisi modo humano, præterea institutio sacramentorum est, vel maxime gratiosa, ac paterna, vt sæpè notatum est in superioribus. Non autem esset talis, nec esset accommodata humanæ conditioni, si vltra grauamen, coniunctum per se cum isto sacramento, doloris, confessionis, & satisfactionis, exigeret præterea victoriam aliarum difficultatum, & incommodorum grauium, quæ superueniunt accidentaliter, pro consecutione gratiæ, & remissione peccatorum; neque hanc concedere vellet confitenti de facto, quantum potest, & physice, & moraliter, vel etiam moraliter tantum.

Art. 10. Si tamen culpabiliter, & absque iusta causa, prætermittatur explicatio alicuius peccati lethalis; nec materialiter erit integra confessio, nec formaliter;

R r 2

id, est

id est, nec erit qualis præcipitur per se, & seclusis circumstantiis accidentalibus, nec sufficiet ad valorem, & fructum sacramenti. Quia eo ipso erit confessio peccaminosa, utpote contraria iuri Diuino, ut apparet clarè ex fundamento superius posito pro necessitate confessionis sacramentalis. Confessio autem peccaminosa est impeditiua potius infusionis gratiæ, & remissionis peccatorum, atque istam impeditionem, dictum est iam pluries esse impossibilem cum valore istius sacramenti.

Art. 2. Ceterum huiusmodi confessionem; & explicationem peccatorum omnium lethalium post Baptismum, vel materialiter, & formaliter simul, vel saltem formaliter integram ita esse necessariam, ut etiam sufficiat ad valorem, & effectum sacramenti, absque vlla venialium explicatione, quantum est ex natura, & institutione ipsius sacramenti secundum se, certissimum est. Primum ex Tridentino aperte id docente cap. illo 5. sess. 14. Deinde quia perseverantia mali levis ad tempus breue, non est graue malum. Peccata autem venialia sunt malum in primis absolute leue, utpote impossibile cum amicitia Dei, & cum iure beatitudinis æternæ. Et præterea perseverantia eorundem peccatorum, tametsi non exponantur in confessione, nec deleantur per istud sacramentum, est ad tempus absolute breue; si comparetur cum perseverantia animæ, quæ est æterna à parte post. Quapropter omisso confessionis venialium nunquam potest reddere sacramentum, aut nullum, aut informe ex sua natura, seu ex se præcisè. Quod nimirum est peccaminosum, atque malum absolute magnum. Concluditur itaque solam confessionem omnium lethalium post Baptismum esse necessariam, simulque sufficientem modo dicto, ac proinde omnia, & sola peccata lethalia hominis baptizati esse materiam necessariam simul, & sufficientem confessionis sacramentalis.

Art. 1. Ad 1. Sequela de constitutione intrinseca huius sacramenti per peccata, quæ ipsum destruit, neganda proculdubio est cum Diuo Thoma quæst. 84. art. 2. & cum communi, ac indubitato Theologorum consensu ibidem aduersus Cardinalem de Lugo, disput. 12. Ad probationem sequelæ, quæ eadem probatione vnice nititur Cardinalis, dicitur non posse cætera omnia, quæ ad hoc sacramentum requiruntur ex Conciliis, & communi auctorum consensu, tanquam partes ipsum intrinsecè constituentes, manere eadem in se intrinsecè, ac entitatiuè, non præexistentibus reipsa peccatis, quæ exponuntur in confessione, & sunt materia absolutionis.

Art. 2. Ratio est. Quia dolor, & odium de peccatis, per quod est certum constitui intrinsecè sacramentum, pendet essentialiter à cognitione veræ præexistentiæ eorundem peccatorum. Nempè quod concipitur dependenter à cognitione falsa, non est sufficiens, nec constituit sacramentum. Quia eo ipso non dantur peccata reuera, & consequenter neque materia, supra quam cadat absolutio. Rursus veritas eius cognitionis pendet essentialiter à reali præexistentia peccatorum, ut per se patet. Cognitiones autem experimentales, & memoratiuæ propriarum cuiuscunque operationum maximè internarum, quæ reipsa sunt veræ (quidquid sit de alio cognitionum genere) habent veritatem adequatè sibi intrinsecam, ac essentialem. Quia immediatè, ac essentialiter dependent à speciebus impressis productis per actus reipsa præcedentes, atque ad eisdem actus feruntur, tanquam ad obiecta sua formalia motiua, atque quibusuis actibus, tam intellectus, quam voluntatis est intrinsecus, ac essentialis ordo ad ea determinatè motiua formalia, ad quæ feruntur de facto, quidquid sit de obiectis materiali-

bus, seu cognitis, seu volitis mediatè, & per speciem penitus alienam. Vnde cognitiones huiusmodi experimentales, ac memoratiuæ peccatorum, quæ de facto sunt falsæ, essentialiter sunt falsæ propter similem dependentiam ab aliis aliorum similium actuum speciebus, quæ inducunt æquiuocationem, ideoque eadem cognitiones sunt intrinsecè ineptæ, ut dirigant actus voluntatis sufficientes ex se ad suscipiendum validè sacramentum Pœnitentiæ.

Art. 3. Itaque peccata sunt materia tantum remota, non ex qua fit, & constat sacramentum, sed circa quam versatur sacramentum, & quidem versatur destruendo ipsam, cum nihil sit destructiuum alius ex iis, quibus intrinsecè constituitur, cum primum existit. Peccata igitur sunt quidem essentialiter requisita ad validitatem huius sacramenti, non tamen requiruntur immediatè ratione sui, sed mediatè ratione specierum impressarum, quas gi-gnunt. Quæ rursus species requiruntur itidem mediatè ratione cognitionis memoratiuæ eorundem peccatorum. Atque hæc demum cognitio requiritur etiam mediatè ratione contritionis, seu attritionis, quæ sola, quod attinet ad hanc rerum seriem, requiritur ratione sui, & constituit immediatè, ac formaliter sacramentum. Aliam responsionem, cum multiplici simul impugnatione Cardinalis de Lugo prosequitur fusè Dicastillo, disputation. 4. dubitation. 5.

Ad 2. Loca Scripturæ de peccatis, ut apparet, irremissibilibus explicata iam fuere supra in simili quæstione 78. Peccata verò, quæ committuntur in ipsa confessione, sunt debilibus per aliam confessionem, vel etiam vi eiusdem confessionis, si ante absolutionem exponantur confessario, superaddito verò de illis dolore. Peccata denique præexistentia, ante Baptismum fictè, sed validè susceptum, delentur nihilominus directè, & formaliter per eundem Baptismum, recedente postea obice; id est accedente contritione, vel sacramento Pœnitentiæ cum attritione. Quia gratia subsequens, ad istum recessum fictionis, procedit etiam à baptismo, eidemque formaliter, & directè correspondet; quatenus est remissiua, ac deletiua peccatorum præexistentium ad ipsum Baptismum adequatè sumptum: sicut correspondet soli, seu contritioni, seu sacramento Pœnitentiæ, quatenus est remissiua, ac deletiua peccatorum baptizati, ex quo baptizatus fuit; Virtus enim Baptismi expedita, per subsequentem recessum fictionis, operatur, in eo ipso instanti totum effectum, quem operata fuisset initio, si tunc non adfuisset obex, & quantam tunc contulisset gratiam seorsim, confert in casu argumenti, simul cum gratia, quæ confertur ex vi solius, vel contritionis, vel sacramenti, ut dictum est supra quæst. 48.

Art. 1. Ad 3. Distinguenda est difficultas, & incommodum temporale confessionis, proueniens per se ex natura, & magnitudine peccati, à difficultate, & incommodo aliunde redundanti per accidens. Difficultas confessionis ex priori capite, eo est maior ex natura rei, quo maius est peccatum. Verum, quia iustæ æquitatis est, ut maius onus imponatur deteriori, nunquam potest quisquam, ob eiusmodi præcisè difficultatem excusari ab obligatione explicandi peccatum.

Art. 2. Sed neque ea infamia excusat, apud Sacerdotem Dei Vicarium, quæ ex integra explicatione peccati redundat inuitabiliter in eius auctorem, siue indistinctum à penitente, siue complicem eius. Quia vterque excidit eatenus à iure suæ famæ, & honoris, ratione delicti; atque Deus præcipiens integram peccatorum confessionem, eo ipso intelligitur indicare peccantibus eam iacturam honoris, quæ inuitabiliter consequitur ad secretam, sed plenam expressio-

expressionem peccati. Vnde non solum certum est neminem excusari propter magnitudinem propriæ infamiae, seu dehonorationis; sed etiam est probabilius, iacturam complicitis esse eatenus posthabendam integræ explicationi peccati etiam externi quoad speciem, quando hæc explicatio fieri non potest absque ea illius iactura.

Art. 3. At infamia personæ non complicitis excusat ab integritate materiali confessionis, quatenus necesse erit, omittere istam integritatem, ad vitandam illam infamiam. Quia cum hoc iudicium sit priuatum, atque ordinatum directè ad bonum priuatum solius poenitentis (quo inter alia differt à iudicio fori externi) non licet, vt exerceatur cum nocumento innocentis, quoad peccata propria poenitentis. Excusat similiter quoduis nocumentum graue, seu spirituale, seu temporale, seu proprium, seu alienum, succrescens extrinsecus, nec per se, ac inseparabiliter coniunctum cum integritate materiali confessionis ex natura ipsa peccatorum secundum se præcisè. Quia cum præceptum de ea integritate, seu positum, non obligat, cum damno notabili per accidens adiuncto, iuxta communem, & legitimum sensum auctorum. Nempè quæ sunt eiusmodi, debet Legislator seorsim exprimere, si velit, cum tanto etiam grauamine, obligare: Vnde dum illud non includit expresse, censetur excludere implicite; Eiusmodi autem expressio non datur in præsentia.

Art. 4. Verum quia absolute, & loquendo per se, quæri possunt confessarius, & circumstantiæ cum quo; & pro quibus cessent talia inconuenientia, circa confessionem eiusmodi peccatorum, atque poenitens teneatur adhibere eatenus diligentiam, quantam commodum, seu sine magno incommodo potest; propterea dicitur absolute, omnia peccata lethalia esse materiam necessariam confessionis modo superius explicato. Quare negandum est suppositum obiectionis quoad hanc postremam eius partem.

Ad 4. Nunquam possumus esse omnino certi, certitudine euidentiæ, aut fidei, de remissione peccatorum, dum sumus in via. Vnde, iuxta prouidentiam ordinariam Dei semper superest aliqua sollicitudo, saltem leuis, de ea nondum obtenta. Atque hæc sollicitudo habet rationem poenæ peccati, quæ poena minuitur repetendo sæpius contritionem, aut confessionem. Eo enim sollicitudo est minor de perseuerantia peccati, & de poena, atque maior spes, & certitudo de salutis æterna, & de totali abolitione peccatorum. Quapropter peccata, tam lethalia, quam venialia prudenter exponuntur eadem sæpius in confessione, atque significatio formæ absolutoriæ semper habet, vnde verificetur, non solum conditionate, sed etiam absolute. Quia semper potest remittere illa, saltem quoad partem poenæ per diminutionem sollicitudinis, saltem illius poenalis. Quoad culpam verò impenditur absolutio conditionate, seu formaliter, seu virtualiter, ac implicite, vt expositum supra in communi questione 16. Peccata igitur semel commissa semper per totam vitam sunt materia sufficiens huius sacramenti, licet non sint materia necessaria eiusdem, quatenus repetiti circa eadem peccata.

Art. 1. Ad 5. Certum est necessariam semper fuisse, & esse agnitionem, & veram coram Deo contritionem de peccatis lethalibus prudenter dubiis, siue dubium sit iuris, siue sit facti. Quia aliquin liceret ex natura rei, mori cum dubio prudenti de peccato lethali nondum condonato, atque idè cum dubio prudenti de incurrenda æterna damnatione, & quin adhiberetur diligentia sufficiens ad certitudinem moralem contrariam. Quod tamen licere est prorsus improbabile, & absurdum, nec est quisquam, qui

R. P. Esparza Cms. Theol. Tom. II.

de hoc puncto dubitauerit vnquam, aut dubitare potuerit. Ostensum est autem supra questione 87. atque in hac ipsa questione inculcatum iterum est, totam obligationem, quæ iherat, & inest ex natura rei, agendi poenitentiam internam coram Deo, post institutum istud sacramentum, esse coniunctam iure diuino cum obligatione peragendi eam poenitentiam coram sacerdote, atque debere quoad fieri potest, confessionem, & manifestationem, exteriorem peccatorum esse omnino conformem internæ eorum agnitioni, & dolori. Itaque peccata lethalia dubia, dubitatione prudenti, sunt materia necessaria huius sacramenti. Quæ quidem est communissima Theologorum præsertim optimorum sententia, eademque est procursu verissima. Rationem eius nostram fundamentalem indicat Caietanus tom. 1. opuscul. tract. 18. questione 2. dicens poenitentem debere se submittere confessario per confessionem sicut submittit se Deo per contritionem; itavt vtrique eadem omnia complectatur peccata, quoad fieri potest; fieri verò manifestè potest, vt complectatur peccata dubia, quorum, vt talium adest poenitenti memoria præsens.

Art. 2. Ex aliis porro dubiis voti debiti, & similibus contemptum transmissis, ac si non essent, quoad alios effectus temporales, nullum imminet periculum damni grauis irreparabilis, atque incompenfabilis, & quod caput est, per contrariam dubiorum æstimationem, & praxim imponitur ipsi dubitanti onus certum ratione incerta, cum nullum eidem immineat incommodum, aut iactura, eodem dubio contemptum transmissio, quoad vllum effectum. Vnde ex eiusmodi dubiis, & ex suspensione, seu frustratione omnis eorum effectus, nulla est paritas pro re præsentia. In qua videlicet nihil omnino refert, sicut in illis aliis materiis, an sic, vel secus concipiatur præsumptio, seu fictio iuris, vt apparet ex ratione fundamentali veritatis. Quia fieri potest, vt dubitans æternum damnetur, peccato dubio silenter transmissio in confessione, præcisè, quia silenter transmissum est, cuiusmodi nihil euenire potest in aliis materiis, neque absolute, neque proportionaliter.

Art. 3. Iam scrupulosi non dubitant prudenter, nec discernere valent dubium re ipsa prudens, ab imprudenti, idè ad nihil inde tenentur; nec enim militat in ipsis ratio data, vt pote petita ex dubio prudenti damnationis æternæ. Quapropter satisfaciunt toti suæ obligationi per solam, tam contritionem, & confessionem sub conceptu eatenus vniuersali, & communi. Verum, & à scrupulosis, & à cæteris quibusvis debet in confessione adiungi peccatis dubiis aliquod peccatum certum, cum id fieri potest, ita monente Suarez, & aliis communiter. Ne nimirum absolutio impendatur purè conditionate. Quod si fieri id non possit; facienda nihilominus erit sola dubiorum confessio, ad quam deinde subsequatur absolutio purè conditionata, vt in aliis quoque sacramentis proportionaliter fieri sæpè posse, ac debere obseruatum ex communi fuit in questione nuper memorata.

Art. 1. Ad 6. Sufficit in primis, quoad speciem cuiusque peccati, & quoad circumstantias mutantes speciem, si eas exponat peccator secundum conceptum, quem præhabuit, dum peccaret; idque quatenus meminisse poterit. Quod difficile nequaquam est ex sua natura; sed cuius utrumque rudi facile peruium, ac manifestum. Deinde, quoad diuersitatem specierum, & quoad numerum sub vnaquaque specie, sufficit, si adhibeatur tanta diligentia, quantam communiter adhibent homines, humana prudentia præditi, quoad rem pecuniariam, aliæque tempo-

R. P. 3. ralia

ralia magni momenti negotia, id est qualis plerumque sufficit pro rei cuiusque difficultate, ac dignitate, ut nihil lateat eorum, quæ dicta sunt, quæque agenda supersunt.

Art. 2. Quod si adhibita huiusmodi diligentia in scrutinio conscientiæ, suumque omnium, & latebrarum eius, aliquod adhuc, vel aliqua lateant peccata, nec omnia usque ad ultimas fibras, certissime discernantur; confessio nihilominus erit formaliter integra, & peccata, quæ latere, remittentur simul cum explicatis in confessione, ut tradit Concilium Trident. c. illo 5. sess. 14. Nec enim imposita est pœnitentibus obligatio adhibendi diligentiam metaphysicè, aut physice summam, tamen si superesset spes discernendi aliquod præterea peccatum, per ulteriorem pertinacem inspectionem phantasmatum, & mutuam præcognitionum collationem. Nempe sacramentum istud, cum sit iterabile, atque singulis, ut minimum annis iterandum ex præcepto Ecclesiastico, ex consilio verò frequenter repetendum, non debuit gravari, & reddi moraliter impracticabile iniecto onere exquisitissimæ diligentia, & explanationis peccatorum, ultra conatum, aut intelligentiam communem, ac ordinariam hominum prudentum in re gravi.

Art. 3. Id præterea certum videtur, standum esse testimonio conscientia propriæ; itaque, si quis ab alio moneretur de talibus determinatè peccatis ab eo commissis, ipse tamen nullum illorum vestigium advertere posset in sua conscientia, ad nihil inde teneatur. Primum, quia malitia actionis exterioris tota formaliter consistit in actu interno, de cuius qualitate solus potest unusquisque sibi testimonium perhibere naturaliter. Certè dictamen propriæ conscientia, tam positivum, quam negativum præminet quoad hoc, apud unumquemque, cuiusvis alterius hominis testimonio humano, seu connaturali. Deinde id ipsum haud obscure insinuat Tridentinum eodem illo cap. 5. post medium, dum solum exigit examen conscientia propriæ, solamque iniungit confessionem eorum, quæ quisque meminit. Quorum enim verò neutrum aptè cadit in notitiam subortam formaliter, & non solum occasionaliter ex sola notitia, & testimonio alterius.

Art. 4. Quod si peccatum, vel peccata aliqua lethalia inculpabiliter omittantur in confessione propter oblivionem, ac postea in memoriam reuocentur, exponi ea proculdubio debent in confessione sequenti, ut fert unanimis Theologorum consensus, necnon communis fidelium praxis, & traditio, atque convincent a fortiori ratio paulò prius proposita, circa peccata dubia. Eò vel maxime, quia licet ea peccata verè remissa fuerint, cum inculpabiliter omissa fuere, vel penitus, vel certè in particulari, nondum tamen Sacerdos, qui est vniuersalis Vicarius Dei quoad peccata post Baptismum commissa, sententiam de illis iudicalem tulit cum integra causæ cognitione, nec vindictivam circa eadem potestatem exercuit iniuncta salutari pœnitentia, nec iudicare potuit, an expediret alia præterea remedia adhibere. Undè nondum est adæquatè satisfactum iurisdictioni sacerdotali, & toti ad ipsum subordinationi fidelium, quales institutione Christi Domini stabilitæ sunt, uti superius demonstratum est. Quapropter libenter assentior P. Lessio dicenti q. 9. de pœnit. art. 2. dub. 3. sententiam communem esse indubitatam, nec esse inter probatos auctores, qui de hoc legatur dubitare.

Art. 1. Ad 7. Actiones exteriores lethaliter peccaminosas esse necessariò explicandas, nec sufficere, si explicentur soli actus interni secundum se præcisè, est omnino certum, ac indubitatum, quidquid non nemo nuper tentare in contrarium ausus sit. Est inquam omnino certum, ac indubitatum; non solum ex

vniuersali fidelium praxi, & unanimi auctorum consensu, atque constanti traditione; sed etiam ex Concilio Tridentino definiente, loco sapius indicato, post alia Concilia, explicari debere omnia peccata lethalia. Nempe actiones exteriores homicidij, periurij, & similes, exercita cum deliberatione in sacris litteris, & ex communi modo loquendi dicuntur absolute, & sunt verè peccata lethalia. Licet enim malitia moralis principaliter, & tanquam in forma præexistat tota in actu interiori; inde tamen communicatur actione exteriori, tanquam materia, & subiecto immediato; ideoque peccatum secundum suum conceptum adæquatum, & ut communiter dicitur consummatum, constituitur ex utroque: ad eum ferè modum, quo constituitur homo ex anima, & corpore. Non igitur explicatur adæquatè totus conceptus peccati actione exteriori consummati, nisi actio ipsa exterior exprimitur.

Art. 2. Accedit sæpè contingere, ut concepto proposito de incendenda domo, de conuictiando, aut occidendo homine, quod putabatur sufficiens ad executionem; reuocetur nihilominus, cum ventum est ad opus, deterrente animum præsentis rei fecerit vinculus tunc apprehensa, atque in eum statum perducta, ut si auctor sceleris pergit ulterius, totum malum reddatur iam irrevocabile, ac irremediabile. Ex quo apparet actionem exteriori, quatenus de facto superadditam interiori, manifestare sæpè nouum oblationis genus, aliundè incredibile ipsi etiam peccatori, ne dum Confessario utcumque aliter, quam per ipsius executionis exterioris explanationem, informato. Cui veritati attestatur difficultas, ex verecundia, & confusione, longè maior exponendi Confessario internam malam voluntatem simul cum operatione exteriori, quam sine ipsa. Hoc enim nequam contingeret, si manifestata executione exteriori, non innotesceret magis Confessario perversitas interior peccatoris. Necessaria itaque est, saltem, ut plurimum, confessio, ac manifestatio executionis exterioris, ad manifestandam totaliter malitiam malam peccati. Leges autem vniuersales, & vniuersaliter obligantes feruntur iuxta plerumque contingencia, in his præsertim materiis, qualis est præsens, in quibus facile contingit unumquemque deludi amore proprio in fauorem sui, si obligatio legis, & intentio Legislatoris, hic, & nunc vigens, vel non, priuato cuiusque committatur arbitrio.

Art. 3. Accedit rursus consequenter executionem exteriori, cum re ipsa superadditur actui interno malo, relinquere saltem ut plurimum in animo peccatoris, dispositionem imposterum longè diuersam ab ea, quam gignit solus actus interior, etiam per accedens impeditus ab intrinseco agente, quo minus prodeat in opus. Primum propter peculiarem complacentiam, & delectationem prouenientem ab actu completo, quæ est irritatiua ad eam repetendam. Deinde propter memoriam facti expressiorem, & diutius durantem, ideoque diutius allicientem ad similia. Demum propter maiorem pudoris iacturam, postquam peccatum redditum est sensibile, impressitque phantasia expressiorem, & magis perceptibilem imaginem sui. Ob hæc igitur necessaria omnino est Confessario notitia actionis ipsius exterioris malæ, pro arbitrio prudenti circa satisfactionem medicinalem, quæ ab ipso imponi debet.

Art. 4. Verum istæ rationes non conuincunt, ut apparet consideranti, necessariam esse explanationem totius effectus secuti, ac præsententi, sed solum quousque liberum de nouo fuit impedire progressum ulteriorem executionis externæ. Et quidem prima actio exterior immediatè proueniens ab actu interno malo, semper impeditibilis, quousque execu-

tionem mandetur. Actiones verò exteriores intermedie, ad vltimum vsque effectum, alie sunt impedibiles immediatè, alie non sunt amplius impedibiles, præsuppositis aliis anterioribus actionibus, & effectibus. Quando autem datur huiusmodi series actionum externarum, sufficit eo vsque explicare, quousque peruenit nouus vsus libertatis, prætermisso vltimo effectù, quando talis libertas non peruenit vsque ad ipsum immediatè. Quæ sententia plures habet pro se auctores, quam opposita, vt videre est apud Dicastillum disp. 9. dubit. 1. in dubio incidenti. Tutissimus tamen, ac expeditus, minimèque scrupulosus modus explicandi totam libertatem impensam actioni exteriori malæ, est, exprimere vltimū effectum secutum per se ex operatione peccaminosa cum præuisione peccatoris; atque ita communiter fieri à fidelibus solet. Qui proinde non sunt aliter instruendi, saltem sine magno delectu, magnæque cautela. Quotus enim quisque est aut pœnitens, aut etiam Confessarius, qui non facillè hallucinetur circa nexum inuitabilem aliarum cum aliis actionibus, & circa explicationem, ac perceptionem iustæ, ac legitimæ præcisionis illius?

Art. 1. ad 8. Omnis, & quælibet ratio differentialis vnius peccati ab alio, quæ secundum se præcisè, ac seorsim considerata continet in se malitiam lethali-ter peccaminosam, est necessàrio explicanda in confessione, non vagè tantum, aut in confuso, sed determinatè, ac distinctè. Idque, siue differentia à reliqua malitia actus peccaminosi, sit secundum conceptum specificum diuersum, siue secundum eundem. Necessè nimirum est explicare in confessione omnia peccata lethalia secundum speciem, & numerum, vt dictum est supra ex Concilio Tridentino, & indidem confirmatum ratione, tum iudicij exercendi à Confessario, tum satisfactionis imponendæ pœnitenti. Parum autem refert, vt patet consideranti eas rationes; an ea differentia, & multiplicitas sit realis ex parte obiecti, & actus simul, an ex parte solius actus, an ex parte solius obiecti. An videlicet, per plures actus speciei, aut numero realiter distinctos, intenta sint plura mala speciei, aut numero, distincta realiter; aut vnum malum constans ex pluribus partibus realiter distinctis, siue homogeneis, siue heterogeneis, quarum quælibet seorsim sufficiat ad peccatum lethale. An verò plures actus realiter distincti repetiti fuerint circa idem numero obiectum. An denique eodem numero actu intenta fuerint plura mala realiter inter se distincta, seu vnum malum continens in se formaliter, vel æquiualemter plures partes realiter inter se distinctas, quarum quælibet seorsim sit materia sufficiens prohibitionis grauiter obligantis de facto. Istiusmodi, inquam, differentie parum referunt, pro necessitate manifestationis faciendæ in confessione, dummodo vnaquælibet vnius peccati differentia ab alio, sit secundum se, ac seorsim peccaminosa lethali-ter. Quia eiusmodi differentie, siue sint secundum actum, siue secundum obiectum tantum, siue secundum vtrumque, semper pertinent, & requiruntur ad integram cognitionem causæ quoad substantiam eius, & diuersificant, substantialiter iudicium Sacerdotis, atque exigunt impositionem satisfactionis, & pœnitentiæ notabiliter diuersam.

Art. 2. Quapropter qui eodem actu, & opere extinxit iniuste familiam, aut pagum, manipulum, centuriam, aut legionem hominum; & qui eodem modo furatus est centum, vel mille aureos, aut equum, vel gemmam valentem tantundem, perinde explicare tenentur numerum occisionum, & quantitatem rei ablata; atque tenetur explicare numerum actuum, qui sapius, ac interpolatè intendit occisionem eiusdem hominis, aut ablationem eiusdem rei alienæ; nec non

qui singulos homines, aut singulas partes pecunie, secundum se, graues, occidere, aut eripere intendit; occidit, aut eripuit seorsim. Negandum itaque omnino est antecedens obiectionis, cum Suarez disp. 22. sect. 3. Maldonato tom. 2. de sacrament. parte 4. de pœnit. cap. 4. in 5. reg. de circumstantiis, & pluribus aliis aduersus Vasquez quæst. 91. art. 1. dub. 2. & plures alios. Posteriores hi auctores tuentur illud antecedens, aut vnice, aut certè præcipue auctoritate Concilij Tridentini. cap. illo 5. sess. 14. vbi definit eas circumstantias explicari debere, quæ speciem peccati mutant; & nihil interim dicit de aggrauantibus intra eandem speciem, siue notabiliter, siue leuiter aggrauent. In materia porro doctrinali silentium, & negationem perinde estimari, quando opportunum erat dicere, immo, & necessarium, si quod non dicitur verum erat, sicut est quod dicitur.

Art. 3. Obseruandum serio est, pro legitima intelligentia Concilij, rationes eas differentiales cuiusque peccati, quarum quælibet, seorsim, & secundum se præcisè considerata, includit in se malitiam lethali-ter peccaminosam, præsertim si non præsupponat rationem aliam specificam peccati logicè priorem, non numerari ab Auctoribus antiquis, ac præcipuis inter circumstantias, sed dici pertinentes ad substantiam actus peccaminosi. In hunc modum, atque hoc penitus sensu loquuntur inter alios cæterorum antesignani, Alex. Aleus. p. 4. quæst. 18. memb. 4. art. 3. D. Thom. in 4. distinct. 16. quæst. 3. art. 2. quæstiunc. 4. & 5. Scotus ibidem distinct. 17. quæst. vnica, art. 2. Qui proinde, & alij circa eadem tempora Scriptores, sub nomine circumstantiarum complectuntur sola prædicata secundaria cuiusque peccati, quæ vel ipsum transerunt ad aliam speciem, iuxta expositionem datam supra in responsione ad quæstionem, vel ita augent eius malitiam intra eandem speciem, vt seorsim, ac secundum se præcisè considerata nullam formalem malitiam contineant. Huius posterioris rationis sunt intensio actus, & aduertentia, ac præcognitio maiores, necnon duratio longior absque interruptione: Quæ sanè prædicata sunt, secundum se, indifferentia. Perinde namque augent æstimationem actus, seu boni, seu mali, vtrius eorum adiuncta.

Art. 4. Vigeat porro, circa secundum istud genus circumstantiarum, ponderatio nuper proposita aduersariorum, dum Concilium determinat tantummodo circa primum circumstantiarum genus, de quo solo genere vnice, aut certè præcipue disputauerant auctores nuper indicati, quorum profecto maximè ratio haberetur, atque obseruaretur phrasim à Patribus Concilij, quodque ipsum genus, erat materia definitionis longè dignior, & magis necessaria. Cæterum augmentum malitiæ, intra eandem speciem, proueniens ex multiplicitate reali, seu formali, seu æquiualemter, obiectorum, quorum vnumquodque seorsim sit materia sufficiens peccati lethalis, non censuit Concilium esse circumstantiam, sed reposuit inter prædicata substantialia actus, iuxta phrasim, & sensum antiquorum, ac præcipuorum Auctorum, nec oppositum huius suaderi vnquam poterit ratione, aut iudicio vllò sufficienti ad probabilitatem, quod ad sensum Concilij attinet. Dicendum itaque potius est Concilium iniunxisse, vt explicaretur in confessione augmentum eiusmodi extensiuum, seu quasi extensiuum, dum iniunxit integram explicationem peccatorum, quoad eorum speciem simul, & numerum, vt apparet ex ratione producta in principio huius responsionis.

Ad 9. Confessio vocalis, vt est pars sacramenti non consideratur secundum suum esse physicum, sed secundum esse morale. Potest autem esse eiusdem infimæ speciei moraliter, tamen si variet speciem physicè.

Quia lex præcipiens confessionem obligat diuersimodè pro diuersis circumstantiis. Nempe obligat ad integritatem materiale, quoad fieri poterit. Potestas autem ad hanc integritatem est diuersa pro diuersis circumstantiis. Vnde, licet hoc sacramentum possit aliquando esse validum, & formatum, exhibita confessione materialiter non integra, ob impossibilitatem, seu physicam, seu moralem huius integritatis; non propterea semper tale esse potest absque eadem integritate. Quæ videlicet plerumque est possibilis, tum physicè, tum etiam moraliter. Fallit itaque obiectio, quatenus loquitur de hoc sacramento, tanquam de toto quodam purè physico, cum sit quoddam totum morale, vti apparet clarius ex vnitatem specifica eiusdem sacramenti impensam habentibus peccata specie diuersa, quorum proinde confessiones, & exteriores manifestationes sunt diuersæ speciei physice, vt alia eiusmodi prætermittam innumera.

Art. 1. Ad 10. Peccata lethalia sunt materia directè necessaria huius sacramenti, quatenus ratione eorum necesse est suscipere hoc sacramentum, & consequenter necesse est omnia illa, & singula in ipso explicare. Peccata verò venialia solum possunt esse materia indirecta necessaria, quatenus imponitur alicui præceptum obligans directè ad hoc suscipiendum hoc sacramentum, siue commiserit sola venialia, siue non. Cui præcepto satisficit explicato aliquo veniali, & prætermisissis reliquis; imo, & prætermisissis omnibus, si adsit aliquod lethale. Quod contingere minimè posset, si præceptum obligaret directè ad confessionem venialium, seu si venialia, ex natura rei, essent materia necessaria.

Art. 2. Cæterum communis eademque verè proculdubio sententia est posse, per legem, præceptum, aut votum, imponi obligationem grauem suscipiendi istud sacramentum, tametsi non adsint nisi peccata venialia. Quia licet deletio venialium secundum se sit absolutè quid leue; susceptio nihilominus sacramenti est res magni absolutè momenti, & multiplicitate ex capite valde utilis; ac necessaria ad plures fines minimè leues; ideoque est materia sufficiens obligationis grauis. An talis sit obligatio resultans ex præcepto annuæ confessionis omnibus adultis fidelibus, communi? an verò illi satisfaciatur venialium tantum reus præsentando se Parocho, & monendo se solis venialibus premi? In vtramque partem probabile est.

Art. 3. Longè tamen probabilius videtur, pro eo casu, non esse impositam obligationem grauem sacramenti reipsa suscipiendi. Quia Concilium Lateranense, ex quo emanauit ista annuæ confessionis obligatio eam imponit his verbis: *Omnes vtriusque sexus fideles, postquam ad annos discretionis peruenierint, omnia peccata solum semel in anno confiteantur*; vt habetur cap. *Omnes vtriusque sexus*. Sub ea autem peccatorum omnium expressione non potuere comprehendendi venialia. Si enim ea quoque comprehenderentur, imposita fuisset obligatio vniuersalis confitendi omnia venialia. Quod est planè absurdum, & impossibile. Accedit Concilium Tridentinum declarans capite illo quinto, Ecclesiam, per hoc præceptum, solum addidisse præcepto diuino determinationem temporis. Dictum autem est supra, præceptum diuinum esse de solis lethalibus. Quapropter, qui non habet, nisi sola venialia, non tenetur de facto loquendo per se, ad annuam confessionem ex vi præcepti illius vniuersalis.

Ad 11. Communis, & vera Suarez, aliorumque responsio est, Nectarium solum prohibuisse confessionem publicam, quæ prius fuerat in vsu, præsertim circa peccata aliqua grauiora, & scandalosa. Chrysostomus deinde fouit hanc eandem prohibitionem. Licet autem aliquoties vtatur formulis, quæ videri

possent complecti confessionem etiam secretam coram solo sacerdote, vt Vicario Dei; nihilominus, quia controuersia tunc celebris feruebat de sola confessione publica, facile eo omnia trahebantur ab audientibus, quocunque demum modo efferrentur. Nempe testimonia, quæ hac de re proferuntur omnia sunt ex hominibus ad populum. A nobis verò ideo sunt certius cum in sensum accipienda, quia idem Chrysostomus, aliis in locis clarissime docet confessionis auricularis secretæ utilitatem, & necessitatem, vt videre est apud Suarez disput. 16. sect. 1. & 4. Qui præterea obleruat optimè disput. 12. sect. 2. sub finem, eundem Chrysostomum in quibusdam locis, & Ambrosium in testimonio obiectionis; tantum docere, deleri posse peccata per contritionem extra sacramentum. Idque ipsum tantummodo colligitur ex locis illis Scripturæ, quæ indicantur ex Decreto. Quod nequaquam tollit, aut necessitatem confessionis vocalis postea superaddendæ, aut eiusdem confessionis votum inclusum in ipso actu contritionis, post institutum sacramentum pœnitentiæ, iuxta ea, quæ superius dicta sunt.

QVÆSTIO XCI.

Virum peccata venialia sint materia sufficiens huius sacramenti?

Videntur non esse. 1. Quia ea sola peccata sunt materia sufficiens huius sacramenti, quæ possunt remitti, ac deleri per ipsum. Peccata autem venialia non possunt remitti, ac deleri per istud sacramentum. Quia hoc sacramentum non confert vllum effectum impossibilem cum peccatis venialibus; quandoquidem ipsum sacramentum, & omnes eius effectus suscipi possunt cum quouis peccato veniali, etiam actuali, atque cum eodem componi. Fieri enim alioquin posset, vt quis peccaret lethaliter, præcisè, quia accederet ad sacramentum pœnitentiæ cum aliquo peccato veniali, actuali. Quod videlicet redderet sacramentum, aut inualidum, aut informè. Quæ tamè sequela à nemine admittitur, nec admitti potest.

2. Qui non habet peccata, nisi venialia, necesse vtiq; est, vt habeat in se gratiam iustificantem. Necesse verò insuper est, ad validam susceptionem sacramenti pœnitentiæ, vt pœnitens adiciat eidem gratiæ actum contritionis, vel saltem attritionis, ante absolutionem. Vterlibet autem ex his duobus actibus, simul cum gratia habituali, est sufficiens ad deletionem venialium. Ad quam nimirum sufficit quilibet motus pius conferens ad feruorem charitatis, iam præexistentis, vt dictum est quæst. 5. de iustific. ad 9. ex D. Thomæ, aliorumque communi sententia. Nunquam ergo contingere potest, vt peccata venialia tollantur vi huius sacramenti, sed semper sunt, aut iam ablata ante absolutionem sacramentalem, aut non proximè auferibilia per ipsam. Non sunt igitur materia idonea, ac sufficiens huius sacramenti.

3. Non contingit, aliquid vnum, ac prorsus idem esse materiam sufficientem duorum sacramentorum. Ergo nec esse materiam alicuius sacramenti simul, & sacramentalium. Patet consequentia. Quia sacramentalia omnia differunt multo magis à quolibet sacramento, quàm quælibet duo sacramenta inter se. Necesse igitur est materiam etiam cuiusvis sacramenti differre multo magis à materia quorumlibet sacramentalium, quam materiam vnius sacramenti à materia alterius sacramenti. Peccata autem venialia sunt materia propria sacramentalium; Nullius igitur sacramenti materia esse possunt.